



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Propositio VIII. Is est Messias, cui uni conveniunt Prophetiae omnes Veteris Testamenti de Messia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260


cando erravero. Accurate præterea observanda est dictio *ἀμα*, *simul*, cum ait: *ἐδύλω δ' ἀμα τὸ σπέρμα τῶν Ἰσραηλιτῶν τὸ γένιον ἡγεμονίας*. Quasi dixisset, Alie quidem sunt vaticinii hujus significationes, sed simul cum eis inest ibi quoque imperii Vespasiani significatio. Ita nobilissimum vaticinium homo verispellis & alterplex affusis tenebris opacavit, latebrasque adhibuit obscuritatis, ut dum Romanis rerum dominis palpabatur, popularium tamen suorum reprehensiones effugeret, exitusque sibi ac effugia quaquaversus paterent. Atqui hanc ejus *ἰστορίαν* cum in lucubrations suas referrent Johannes Zonaras, Nicephorus, Pseudo-Hegeffippus, Freculfus Lexoviensis, & Johannes Sarisberienfis, latentes ibi *πρόνοιαι* & versutias haudquaquam animadverterunt. Unus Eusebius, quemadmodum optimi ipsius codices habent, verba Josephi cum tota sua ambiguitate fideliter repræsentavit.

Zonar. Annal. Tom. 2.
Nic. l. 3. c. 4.
Hegef. libr. 5. cap. 44.
Frec. Chron. Tom. 2. libr. 2. cap. 5.
Joh. Sar. Pol. libr. 2. cap. 4.
Euf. Hist. Eccl. libr. 3. cap. 8.
Pseudo-Christi complures.

Num. 24. 17.

XXXIII. Tralatitia illa præterea & pervulgata de venturo his temporibus Messia persuasionem abusi alii plerique, Christi nomen ac dignitatem usurpare ausi sunt, cum ante id tempus quemquam hoc attentasse nulla prodatur historia. Primus hac impietate sese alligavit Herodes Ascalonita, cum Herodianorum, à quibus Messias habebatur, sectam de se vocabulum habere passus est. Christos postea se professi sunt vecordes illi Samaritani, Dositheus, & Simon. Imperium deinde tenente Hadriano, Messiam se dixit Bar-Cocheba, sive Filius stellæ; hoc insignitus nomine, quod sibi nobile illud Balaami vaticinium accommodaret: *Orietur stella ex Jacob*: deinde vero Bar-Cuziba, hoc est Filius mendacii dictus, postquam ejus impostura deprehensa est. Regnum ejus postmodum tenuit Rufus ipsius filius, ac deinde Romulus nepos, Cuziba & ipse dictus, avo cognominis. Multi exinde variis exorti sunt temporibus Pseudo-Christi, velut insignis ille David Eldavid, qui Perfidis Regem bello laessere ausus vesanix tandem suæ pœnas capite luit; alique plures in Epistola Maimonidæ ad Rabbinos Massilienses, & in libro Schebet Jehuda commemorati.

Sed concludenda tandem hæc disputatio est, in qua luculenter à nobis ostensum est multas in Veteri Testamento haberi prophetias de Messia. Quod erat probandum.



PROPOSITIO OCTAVA

Is est Messias, cui uni conveniunt prophetiæ omnes
Veteris Testamenti de Messia.

VETERIS Testamenti prophetiis, quæ spectant ad Messiam, collectis simul, & ob oculos positis, certa continentur *verba*, & notæ quædam singulares, quæ si in quoquam appareant, eum esse Messiam haud cunctanter asseverabimus: sin extent nullam, nec in ullo ad hanc diem deprehensæ sint, confidenter pronuntiandum est, nec esse Messiam, nec fuisse. Factum id à Judæis, qui *verba* sibi fingunt quædam, ad quorum normam Messia agnitionem exigere solent. Falsa autem ea cum sint, falsa quoque illorum de Messia judicia consequi necesse est. Omnis itaque eorum error in *verba* notitia & dijudicatione versatur: multa enim, quæ in mysticum trahenda erant sensum, mortiferam sectantes literam præpostere accipiunt. Velut cum forma præcellentem fore Messiam aiunt, propter istud Psalmi quadagesimi quarti: *Speciosus forma præ filiis hominum*. Et cum terreno regno potiturum eum arbitrantur, quod de eo scripta hæc legerint: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Bellatorem illum, & manu fortem, gentiumque multarum domitorem futurum sperant, quod de eo prædicta illa sint: *Sagitta tua acuta, populi sub te cadent*. Rebus tandem ab eo tranquillatis summa pace, non homines solum inter se, sed brutas quoque animantes fruituras his Isaïæ persuasi crediderunt: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: puer parvulus minabit eos: leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli qui ablactatus fueris manum suam mittet*. Sapientissimi Rabbiorum omnium

Psal. 44. 3.

Psal. 1. 8.

Psal. 44. 6.

Isa. 11. 6, & seq.

nium Maimonidæ extat Epistola, qua deceptorem quemdam, Messæ nomen usurpantem, de quo fuerat interrogatus, damnat vanitatis & mendacii, quod nota illa *שגזעמתי*, quibus agnoscendum esse Messiam ait, qualque ex Libris sacris colligi posse docet, in eo nequiquam apparerent. Tum multas ex iis assert, inter quas propriam hanc & peculiarem esse docet, quod simul atque prodire in lacem hominum, munusque suum obire cœperit, magnus apud Reges omnes terror ejus & formido futura sit, propter hanc Isaïæ prædictionem: *Super ipsum* *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* *continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, videbunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.* Futurum quoque addit, ut solius loquelæ suæ vi homines interficiat, hoc nixus Isaïæ testimonio: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* At quemadmodum *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* interpretantur Judæi, quæ *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* intelligenda erant; sic è contrario pleraque allegoricis scedant interpretationibus, quæ fuerant sumenda *אֲשֶׁר יִשְׁמַע*. Cujusmodi est illud vicesimi primi Psalmi: *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem:* & id Psalmi sexagesimi octavi: *Et dederunt in escam meam fel,* & *in siti mea potaverunt me aceto:* & istud Zachariæ: *Ipsè pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinae:* & deinde: *Projice illud ad statuarium decorum pretium, quo appetitatus sum: & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.* Quorum omnium certissima ex eventu pendet dijudicatio. Vitiò eodem laboravit vir Literarum sacrarum cæteroqui peritissimus Origenes, qui cum reliqua allegorice interpretari solet, unum id sumit *אֲשֶׁר יִשְׁמַע*, quod solam interpretationem allegoricam admittebat; Servatoris nempe dictum, quo Eunuchismum cœlestis regni causa suscipere persuademur. His ergo collectis in unum *אֲשֶׁר יִשְׁמַע*, & quæ *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* explicanda veniunt, & quæ *אֲשֶׁר יִשְׁמַע*, & quæ utroque modo; singulisque intellectis probe, & in legitimam sententiam deflexis; tum si cui omnia ea conveniunt, is profecto Messias sine dubitatione habendus est: quippe *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* illis vera Messæ continetur definitio. Primum enim statuit hominem esse proposita initio operis hujus Messæ definitio: id quoque de Messia ab Isaïa traditur: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* *Virum dolorum* idem alibi eum appellat: sic & de eo Jeremias: *Femina circumdabit virum: & Ezechiel: Et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper:* Daniel quoque: *Ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat.* Deum præterea esse vult nostra Definitio: consonat Isaïas: *Filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus, Deus fortis:* & alibi: *Deus ipse veniet, & salvabit vos:* & rursum: *Dic civitatibus juda, Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur:* consonat & Baruch: *Hic est Deus noster, & non asinabitur alius adversus eum.* Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus: & Michæas: *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Addit Definitio, à Deo divinitus missum esse ad hominum salutem: inde Job: *Scio enim quod Redemptor meus vivit: inde & Isaïas: Prope est justus meus, egressus est Salvator meus:* & alibi: *Et timebunt qui ab occidente nomen Domini: & qui ab ortu solis gloriam ejus: cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus: & iterum: Dedit te in fœdus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas: ut diceret his qui vincti sunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini: rursum quoque: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut predicarem annum placibilem Domino: idem toto quinquagesimo tertio capite prædicat. Succinit Jeremias: *In diebus illis salvabitur juda:* item: *Redemit enim Dominus Jacob, & liberavit eum de manu potentioris: & Habacuc: Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo: & Zacharias: Applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me.* Divinitus missum esse sciscit Definitio, hoc est miro quodam modo, qui modum naturæ, viresque superet: idem tradit Isaïas, cum eum ex Virgine proditurum vaticinatur: tradit & Daniel: *Ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat: ad id facit & illud Isaïæ: Generationem ejus quis enarrabit? Denique à Prophetis prædictum esse docet Definitio, quod & demonstrant tot à me prolata testimonia. Ergo in Prophetarum prædictionibus de Messia, vera Messæ continetur definitio. Reciprocari autem debent definitio & definitum. Cuicumque ergo competent *אֲשֶׁר יִשְׁמַע* illa definitionem complexa, hunc vere Messiam dicās: item qui Messias est, huic inesse**

dicas *μενται* definitionem complexa. Vere ergo diximus eum esse Messiam, cui uni prophetiæ omnes Veteris Testamenti de Messia conveniunt. Quod erat probandum.

PROPOSITIO NONA.

Jesus Nazarenus est Messias.

HUIC enim conveniunt prophetiæ omnes Veteris Testamenti, de Messia editæ. Quod ut accurate demonstremus postulat locus: Optimam autem hanc & tutissimam rationem fore existimo, si singula Veteris Testamenti de Christo prædicta colligam, & cum iis quæ in Novo Testamento de Jesu Nazareno tradita sunt diligenter configam. Ex hac enim Veteris & Novi Testamenti contentione apparebit Testamentum Vetus esse occultationem Novi, Novum autem esse revelationem Veteris, ut verbis utar Augustini, atque ita Veteri Novum inesse, ut rota illa, quam vidit Ezechiel, inerat alteri rotæ, juxta Gregorii Magni interpretationem; ac summum denique Testamenti utriusque esse consensum: quo consensu Christianæ religionis veritas continetur. Quamobrem is ut apertissime pateat, proponemus hic *ὁμογενείαν*, sive-comparationem clarissimarum illarum *πρῶτων* ad Christum pertinentium, quæ prænuntiata sunt in Veteri Testamento, cum iis quæ in Novo Testamento de Christo Jesu narrantur. Ac primum testimonia ipsa decerpemus ex utriusque Testamenti libris, & sibi ex adverso & *ἀντιπροσώπιον* utrimque opposita *ἀντιθέσει* representabimus, unde facilius extare possit mirifica eorum conspiratio & concordia. Tum quoniam testimonia quædam in controversiam vocantur à Judæis, aliisque orthodoxi dogmatis adversariis, & perverforum Interpretum fraudibus oblimata est germana eorum sententia, ut labefactis doctrinæ Christianæ fundamentis tota moles corrueret, ea nos pro suscepti operis ratione adversus impietatem vel imperitiam tuebimur; non omnia certe, sed ea tantum, quorum gravius est ad legitimæ religionis tutelam momentum & præcipua auctoritas, quæque sinistris interpretationibus patuerunt. Partem eorum jam supra quidem in Propositione septima allatam & expensam retractabimus. Plurima prætermittemus omnino, futurum sperantes ut in iis quæ illic disputata sunt, Lector acquiescat, prætermissa veritati ipsi, ac rectis doctorum hominum studiis ab impiorum injuria relinquemus prohibenda. Tum quoniam non verba duntaxat, sed & signa quædam in Scriptura sacra proposita, futurorum dant nobis præfensionem, signis hujusmodi compluribus ac typis in Veteri Testamento præmonstratum hominibus & prædictum fuisse Messiam ostendemus. Demum ad verum prophetiarum intellectum monitis quibusdam Lectorem informabimus.

August. De civ. Dei lib. 16. cap. 26.
Ezech. 1. 16.
Greg. Hom. 6. in Ezech.

ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ

VETERIS TESTAMENTI CUM NOVO,

IN IIS QUÆ AD MESSIAM PERTINENT.

Prædicta in Veteri Testamento, | Completa in Novo.

CAPUT PRIMUM.

Jesus de semine Abrahami.

GEN. 12. 1, 3. Dixit Dominus ad Abram
..... In te benedicentur universæ cognationes terræ.

Gen. 18. 17, 18. Dixitque Dominus, Num

MATTH. 1. 1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

Luc 3. 23, 34. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta; ut putabatur, filius Jo-